D. O. M.

QUÆSTIO MEDICA PUBLICIS AGITANDA

DISPUTATIONIBUS IN SCHOLIS MEDICORUM CELEBER. ACADEMIÆ CADOMENSIS,

PRO LICENTIATUS GRADU CONSEQUENDO. M. PETRO ANGO, DOCTORE MEDICO, ET PROFESSORE REGIO, PRÆSIDE.

An detur panacæa, sive remedium generale?

I.

PANACÆA Græcis generale omnibus morbis remedium. Illud miseris mortalibus promittunt quidam Medici. Quis istis affirmantibus credat? hæ autem sunt generalis illius medicamenti potentissimæ probationes, hi præclari & stupendi effectus. Sanis panis idem, eadem aqua sufficit; quidni ægrotantibus idem remedium? Illud enim tantæ vis est & efficientiæ, ut extemplo agat, morbosque omnes, etsi graves ac mortiferos, sanabiles tamen, tollat ac evertat radicitùs. Illud luminis instar, omnes corporis partes permeat, lustrat, irradiat, hebetes ac languentes earum fibras reficit, corroborat, intendit, effœtos spiritus recreat: vitiosos humores purgat; quod calidum temperat; fovet quod frigidum; quod crudum coquit: maturat quod immaturum, quod acidum, salsum, acre, amarum, aliûsve saporis noxii, ac erodentis concoquit, edulcat, pristinæ temperationi restituit: uno verbo nihil extrarii vel immundi, nihil gravis aut putidi, seu venenati in corpore remanet, quod ab eo remedio non superetur. Eodem modo agit in naturis omnibus, nullâ vi, nullâ humorum ejectione sensibili: illiûs usu juvenescunt decrepiti senes, canos, rugos, fœtidos, ac cariosos dentes, pellemque veterem deponunt, habilesque fiunt functionibus omnibus redintegrandis. Jucundus ille potus, melle & saccharo dulcior. Et, si Helmontio fides, ideam quamlibet morbificam ab Archæo conceptam, expugnat & extinguit; remedium enim est Archæo familiare & gratum, atque uti levis odor pestilentis auræ lædit animalia; ut morsus rabidi, viperæ, colubri inficit, & plerumque necat levi momento; sic & datur remedium potens; quod solo odore, atque attactu compescit vitæ errores, restaurat vitia aut irati, aut errantis Archæi; optanda quidem tam benefica, tam potens Medicina, sed adhuc desideratur, junioribus, & antiquis incomperta.

II.

EX quânam materiâ conficiatur tantum remedium? requirit Helmontius, ut sit corpus semel resuscitatum, semelque destructum, ac deinde quasi à resurrectione gloriandum; adeóque à quibuslibet vitiis suscipiendis immune; nam in remedio resurgente à morte, virtus illius adaugetur in millecuplum, tenuique contactûs odore, diffunditur, dilataturque in objectum Archæum, eumque sedat, sanat & componit. Requirit præterea, ut post volatilitatem ademptam alicui corpori amicabili connectatur, quo detineatur, corpori humano communicetur, & Archæus demulceatur fermentativâ odoris extensione; sic autem conficitur illud medicamentum, lapillus Buthleri dictum. *Fuso sale marino è fæce extracto, ante omnimodam ejus condensationem, illi commisceatur subtriplum entis veneris, resuscitati sublimando, & comitati suo peregrino fermento: statimque tigillum cooperiatur. Dum autem prorsus refrixerint, contunde in pulverem sub marmore, illique adjunge usneæ subdecuplum respectu entis veneris, quem pulverem cum ichthiocola solutâ, in trochiscos compinge, & habes medicamentum nobile.* Unum olei cochleare lapillo illo imbuti, si in cadum olei infundatur, totus cadus evadet remedium ejusdem virtutis, morbi omnes sanantur hoc remedio, unctione scilicet, si extùs, vel linguæ attactu, sive solo gustatu, si intùs producti fuerint. Alii poculenti auri confecturam proponunt, & Hippocratem suas in partes trahunt lib. 1. de diætâ, juxtâ illud, *aurum operantes tundunt, lavant, molli igne liquant, forti autem non conflatur: ubi verò elaboraverunt ad omnia utuntur*: addunt, auri illius materiam non vulgare esse illud metallum, quo utuntur auri fabri, bracteatores, vulgares Medici; molli enim igne, ac lento aurum Hippocrateum elaboratur, igne forti tractatur vulgare; non liquet tamen, ex quo fossili aurum suum confecit Hippocrates, an ex antimonio, quadruplici virtute emeticâ, catharticâ, sudatoriâ, alexiteriâ prædito; an ex Saturno aliisve corporibus metallicis. Alii spiritum vitæ in lagenâ inclusum passim deprædicant, popello ut summum arcanum obtrudunt; & divitum ignorantiam spe longioris vitæ circumveniunt; sed quæ potest esse talibus promissis fiducia?

III.

MEDICINA illa universalis, solis, ut aiunt, adeptis concessa & comperta, omnibus incomperta est. Remedium dicitur naturis omnibus commune, quasi verò natura esset unum ens; natura quidem increata, seu naturans, ut loquuntur barbari, unum ens, sed ut creationis, ita & conservationis non indiga; natura autem particularis, de quâ hic agitur, multiplex est, creationis, conservationis, & cujuslibet adminiculi particeps: ut enim homines vultu, moribus differunt, ita & temperamento, & idiosincratiâ. Naturarum quædam ad æstatem, aliæ ad hiemem bene vel male se habent; his medicamentum aliquod proficit, aliis nocet. Quid ineptius, & stolidius, languido juxtà ac robusto, juveni & adulto, æque ac seni & decrepito, idem medicamentum propinare; idem est atque unum calceamentum cuilibet pedi adaptare; sed inquies, eadem natura multiplex, dum sana est, eodem pane & eâdem aquâ vivit contenta; quin & ægræ idem remedium; quod sicuti sol tempora, ita & moderatur vitam & sanitatem, quod caligines omnes ex humorum intemperie ortas illicò discutit, & quod æstus compescit, usu aut morbo attritas partes restituit. Egregium videlicet argumentum ad probationem Medicinæ universalis. In solâ quidem consistit functionum integritate sanitas; sed morbus quidem positus est in multiplici ab eâdem integritate recessu. Integritas eodem alimento sustinetur; sed recessus multiplex non eodem modo componitur, aliâ viâ membrum disruptum, aliâ laxatum curas, aliâ humorum luxuriam, aliâ tenuitatem emendas, &c. Infinitæ quidem præclari illius remedii dotes prædicantur, unde nam illud eruamus? obscura nimis, & studiosa chimiatrorum dictio; Protheum diceres quaslibet figuras induentem, & quoslibet effectus producentem: nullus ex adeptis senectutem novâ juventute commutavit Fratres roseæ crucis perpetuò juvenes universum terrarum orbem pedibus obeuntes, sine curâ & lassitudine, mera sunt cerebri inflammati figmenta. Confectio lapidis Buthleri ab Helmontio proposita falsum est oraculum, nullo Oedipo explicandum. Corpus metallicum obsequens fit usque ad mortem, ab artifice reseratum resurgit velut à morte, in sublime fertur, novo humore densatur, & nutritur, vitamque hominum suæ resurrectionis participem efficit; hæc dicere, refutare est. Quid de auro poculento dicam, cujus ignorata materia remedium perpetuis involvet tenebris. Spiritus universi aër est, cujus motu vivit corpus quandiu liberum, nec dissolutum, nec obstructum.

VI.

EA est humanarum rerum iniqua conditio, ut cognita, & utilia negligamus, abditorum & arcanorum sortem sequuti. Hinc agyrtarum collegia quælibet; illi celeberrimam Orvietani Antidotum, venenis extùs admotis, aut haustis, aut à vitio humorum, & corruptelâ ortis adversam sæpiùs clamitant, tanquam remedium ideò catholicum, quod omnes morbi ab humorum putredine majori, vel minori provenire contendant: sed quàm fallax, quàm fucata in eorum manibus tanti remedii præparatio, quæ etiamsi legitima, non tantæ, quantam extollunt, virtutis foret; neque enim hæc ex quisitorum medicamentorum farrago in commune omnibus morbis remedium coalescit; nam præterquàm quod venenis omnibus, v. g. sublimato corrosivo non convenit; nocet etiam plurimis aliis morbis; diffundit in vasa saburram viscerum; phreneticos, maniacos, biliosos affectus exasperat, &c. Quid? quæ de auro potabili, quæ de medicamento horisontali gloriosiùs prædicant, refellendo infinitus sim? nulla ferè est anicula, quæ secretis suis universalibus non indulgeat. Ipsum etiam audax barbitonsorum vulgus singulis, & omnibus morbis purgationem, & venæ sectionem sine delectu, & promiscuè tanquam unica remedia administrant. Maxima quidem sunt hæc remedia, sed tempestivè & prudenter adhibita. Moratur me curatio transplantatoria, cum ex ægroto in aliud animal, vel etiam in quodcunque inanime corpus morbus transplantari, & transferri credatur; morantur & observatæ cautiones in transplantandis morbis, quarum beneficio cura absolvitur; & hæc sunt quadruplicis generis, 1°. respectu ægri; 2°. respectu medii transplantationis 3°. respectu recipientis, in quo morbi transplantantur; 4°. respectu morbi; quæ analogiam in invicem requirunt, & dispositionem recipientis; sic epilepsia tutò, citò, & jucundè in passeres transplantatur. Podagram ab homine recipiunt gallus gallinaceus, pavo, canis; tumores in nodosas arbores citiùs transeunt; in tiliam capitis morbi. Affectus, qui in pisces transmigrari debent, à nimiâ humiditate ortum habebunt, &c. Morborum transplantationes partim fiunt per sudorem, per segmenta unguium, per sanguinem; ut in curatis unguento armario, per capillos in affectibus capitis; per excrementa, ut si ex urinâ ictericorum fiant placentæ cum farinâ, quæ offerantur cani vel feli. Si quæ de transplantationis modo jactant, vero propiora forent, jam à pluribus annis excogitatus ille modus usu frequenti etiamnum confirmaretur; homines enim ad salutem suam attentiores, tutam, citam, & jucundam transplantandi morbos rationem, conjecturis & ingratis potionibus prætulissent.

V.

TUTIOR, & certior medendi via nobis videtur, quam ab Hippocrate acceptam Dogmatici tenuerunt. Hanc trahunt ab experimentis, ratione, & analogismo. Experientia prima est, & potior; si quid suadet ratio, cui refragatur experientia, nullius debet esse ponderis, & momenti. In curatione suadet ratio contrariorum contraria esse auxilia, & similia similibus conservari. Experientia, modo prosit, remedia adhibet similia, sive ejusdem naturæ cum morbo, sive contraria; hinc contrarium intelligitur id omne, quod morbos expellere valet. Analogismus verò indicium est non leve à ratione haustum, ad causas novi morbi investigandas, & ad remedia administranda, quibus morbos cognitos, illis quodammodo similes feliciter curatos aliquando experti sumus, stantibus iisdem indicationibus. Indicatio est agendorum insinuatio. Natura stimulata & impulsa Artis peritis, quæ facienda sunt demonstrat, ita ut quibus mediis ab eâdem morbos pelli noverint, iisdem ipsi utantur; naturæ enim morborum medicatrices, non omninò tamen naturæ committendus æger. Sæpè remediis parvi momenti, excitatur fiducia, spes, imaginatio, quæ plurimùm juvare experimur. Semper ea, quæ moram, & impedimentum inferunt, quâcunque ratione amoveas. Inopiâ si laboret natura, remediis corroborantibus utendum, unde refectis viribus causæ morbificæ evanescant: si consopita videatur; spirituosis medicamentis virtus exsuscitanda: si onere prematur, sublevanda. Onus illud vel sanguis est, vel humores partim secreti, partim secernendi. Statim sanguis mittendus est ubi plenitudine officit, aut aberrat à viâ: humores secreti purgandi; alii præparandi ad purgationem; inde adjectio, & detractio duo sunt præcipua apud Dogmaticos medendi instrumenta, sed non sola; nam ubi substantia sanguinis à dulcedine suâ degenerat, temperatione uti oportet per medicamenta alterantia, quæ cùm sint varii saporis, & qualitatis, sanguinem pravis saporibus, & qualitatibus affectum immutabunt. Curatio in universum à causarum amotione semper inchoanda; urgentiori succurrendum. Cùm morbi incipiunt, si quid videtur movendum, move: cùm verò consistunt, ac vigent, quiescere melius est. In morbis benignioribus à medicamentis abstinendum; tunc enim summa medicina est, medicinâ non uti. In magnis & perniciosis ægritudinibus remedia efficacia adhibenda sunt; si morbi impetus frangi nequeat, in longum protrahendus, ut curationi locus detur. Quod si aliundè spes salutis non affulgeat, satius est anceps experiri remedium, quàm nullum. Prudentis tamen est medici, ægrum, qui servari non potest, non attingere; nec subire speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius peremit. Consideranda denique suadent Dogmatici temperiem ægrotantis, consuetudinem, ætatem, sexum, anni tempora, & diversos morborum exitus. Quantæ, inquiunt Helmontiani, ambages in medendo! quàm longa indicationum, & distinctionum series! sentio equidem, quàm expetenda sit medicina illa universalis, Balsamum illud vitale, & Catholicum remedium, quod morbis omnibus, sive calidis, sive frigidis, sive à quâcunque causâ ortis, tutò, citò, & jucundè occurrat: illud semper fuit, & erit in votis; in quæ vota futilia succedent posteri. *Ergò non datur panacæa, sive remedium generale.*

Has suas Theses proponebat PETRUS VICTOR CAUVET, *Deppæus, Baccalaureus Medicus, die Jovis* 13. *Julii, A. R. S. H.* M. DCCXIX. *à septimâ ad undecimam.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, Regis, & Academiæ Typographum.